

EXERCITATIO
HISTORICO-THEOLOGICA

De
PEREGRINATIONIBUS
RELIGIOSIS JUDAICO-ETHNICO-
PONTIFICIIS.

Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICEN-
TISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPÆ AC DOMINO,

DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE ET REL.

PRÆSIDE
VIRO SYMME REVERENDO ET MAGNIFICO

DN. MICHAELE FÖRTSCH,

SS.Th.D.P.P. SENIORE AC h.t. DECANO

FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO NUNQAM NON COLENDO.

VENTILANDAM EXHIBET

Add. Aug. M D CC V.

AUTHOR & RESPONDENS

JOHANNES JACOBUS SEELIG,

MFrancofurt.

JENAE
Stanno MULLERIANO.

XV
EXERCITATIO
INCLYTÆ AC LIBERÆS. R. I. CIVITATIS
MOENO- FRANCOFURTANÆ
ORDINI ECCLESIASTICO
VENERANDO;
**DNN. SENIORI AC
PASTORIBUS**

VIGILANTISSIMIS, MERITISSIMIS;

VIRIS

*Summe plurimumque Reverendis,
Janctissimi Dei verbi ministris
præclarissimis,*

*DOMINIS, PATRONIS, AC IN CHRISTO
PATRIBUS SUIS
ÆTERNUM HONORANDIS,*

EXERCITATIONEM HANC THEOLOGICAM

D. D. D.
AUTOR RESPONDENS.



Q. D. B. V.

CAPVT I.

Inscriptio Exercitationis explicatur, & variae peregrinationes; speciatim Religiosarum apud Judaos origo & progressus, item apud Gentes alias indicantur.

§. I.

DE *Eregrinationis* vocem ab antiquo *peregris* aut *pereger* originem ducere, è veteribus observavit *Gerb.* *Johannes Vossius* in *Etymologicō linguae latīnae*, quippe *pereger* & *peregris* dicitur quasi *per agrum*, unde & *peragrare*, multos agros pererrare; hinc porrò *peregrinari*, *peregrinatio*, q. d. *per agros pererratio*; nam quod *Varro* de *peregrino* scribit: *dicitur peregrinus à pergendo, hoc est, progrediendo, eo enim ex agro Romano (Scaliger legit Romani) primum progrediebatur,*

A tur,

sur, nullam habet verisimilitudinem. *Religiosum* vero à religione dici, dubio caret: At Religionis vocabulum variis derivationibus jam pridem subjectum est; quas hic colligere supervacaneum arbitror. Convenientior illa videtur apud *Lactantium* L. IV. Inst. Cap. 28. Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa & debita officia prebeamus, hunc solum noverimus hunc solum sequamur: hoc vinculo pietatis obstricti Deo religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est à relegendo. *Religiosum* à religione dictum id denotat vi vocis, quod ad religionem spectat, veluti *religiosa domus*, *religiosus locus* &c. Quemadmodum autem religionis vox non de vera tantum sed & de falsa, ac de superstitione accipitur, ita & vox *religiosum* variis superstitionibus jam tum inter antiquos adaptata est. Conf. c. pluribus *Prateium in Thesauro Verborum que ad jus pertinent*. Nos h.l. de peregrinationibus religiosis ita agere instituimus, prout ex illis sine vitio, ad has idololatricas & superstitiones deflexit institutum, unde de talibus, quæ Ethnico-Judaico-Pontificiæ sunt, exercitationem hanc inscripsi. conf. Nicol. Hunnius de Apostasia Rom. Ecclesiæ.

§. II.

Non enim eundem finem sibi præfixum habent, qui è loco in locum commigrant, cum ab antiquis jam temporibus non *mercatorum* solum, qui quæstus faciendi causa varias gentes adeunt, peregrinandi modus fuerit, sed & de *Philosophis* Græcis constet, illos vel in Ægyptum, vel Palæstinam, vel ad Chaldaeos, vel Mar-

gos

35 (3) 52

gos in Persiam discendi cupidine profectos fuisse; prouti de Pythagora è Diogene Laertio L. VIII. Segm. 3. observat Menagius in Annot. p. 349; de aliis Philosophis verò paria recenset Saldenus Otiis Theol. Exerc. I. p. 14. Quemadnodum & de veteribus Ecclesiæ doctribus legimus, quod peregrinationes graviorum studiorum causa suscepserint, quo pertinet illud Erasmi in vita Hieron. de ipsius peregrinationibus: *in profanis literis, quas quidem Seculares vocant, ad plenum eruditus, ad graviora studia jam adjiciens animum, bac etiam parte laudatisimos viros est imitatus, velut Pythagoram, Platonem, Apollonium, ut lustrandis regionibus sapientia suppelleat redderet auctiorem.* Gallias omnes sic undique lustravit, ut nonnullis locis habitasse videatur, adeo etiam locorum situm & nomina tenet, & multorum sibi conciliavit amicitiam. Atque in Epistola quadam ad Florentium testatur, se Treviris ingens Hilarii volumen de Syndicis suapte manu descripsisse: quod aliquando post iubet sibi remitti, jam in eremo, que Syriam à Saracenis dirimit, agens. Ad hunc itaque modum studiosè lustratis Bibliothecis omnibus, & congressus cum his, quos vel eruditio vel integritas morum reddiderat insignes; & undique nonnihil decerpens, quod ad Christianum institutum facere videbatur, tandem velut industrius & avidus negotiator non auro ditior, sed usu rerum, literis ac pietatis ardore locupletior, utramque revisse patriam, & eam in qua natus, & eam in qua renatus. Præmissa est operibus Hieronymi Edit. Froben. Excerpti autem hunc integrum locum, quoniam justos peregrinationis fines simul eleganter exhibet, & usum. Pervenit mos

inde ad quoscunque literarum amantes, qui non in sola patria, sed & apud exteros studiorum morumque culturam querere solent, de quo more Dn. D. Zentgravius pecul. dissert. *de peregrinatione Academica egit.* Certè laude omnino dignum juvenibus habitum inter priscos Romanos, si quis studia eò protraheret, ut & peregrinè inclaresceret, prout Agricola, finem hunc Massiliaæ, in studiorum sede ac magistra urbe, asecutus, laudatur à Tacito in vita Agricola C. IV. §. 4. Si cuidam, ut mores aliorum, ritus & statuta variarum gentium sciat, decori est, quippe unde civilis prudenter hauritur, *Magnates* sunt & *Principes*, quorum fructum è peregrinationibus provenientem recensere, mei non est instituti; in hoc tamen capite jam olim Constantinus Imperatorem laudavit Julianus Orat. i. Opp. p. 12. Quin ad cuiuscunque status & conditionis homines fructus exinde redundat, unde peregrinationem politicam in genere omnibus viris commendat Dannbauerus Theol. Conf. P. i. p. 695. nimium tamen peregrinandi pruritum reprimere possunt, quæ notavit Conringius de Civ. prud. p. 289. Cæterum, quandoquidem corrupti exterorum mores, suaves admodum apparentes, facile ad nos derivantur usu & consuetudine, magnâ ubivis cura & providentia opus est: unde gloriosæ recordationis Saxonæ Princeps ERNESTUS in hoc sapius sibi gratulabatur, dicens: gaudere se, quod peregrinationes negligere necesse habuisset, animo enim longè tranquilliori se frui, quod nullaejusmodi voluptatum vitiorumque, quorum in extensis larga seges est, recordatione & conscientia exercit-

cie-

§ (5) §
cetur ; referentibus id Novis literariis Germanie anno
1703. Mense Julio p. 258.

§. III.

Sed mittamus hæc , transituri ad eas peregrinationes , quæ Religionis causa fuerunt suscepτæ, quod non nuperdemum factum : quippe colligimus antiquissimis, id est primis temporibus, jam migrasse homines ad certum locum , cultus Dei causa , quem ibi exercebant. Ita B. *Lutherus* hand in- eptè conjicit, eo in loco, ubi in Paradiso arbor scientiæ boni & mali à Deo posita fuit, Ecclesiam fuisse , dazu sich Adam mit seinem nachkommenden Geschlecht am Sabbath versamlet / und nach Erquickung vom Baum des Lebens / dafelbst GÖtt gepreiset/ und dafür gelobet hätte / *Comment. ad Cap. II. Genes.* Separatis postea, scelere Patris , Cainitis , tempore Enosi nomen Dei invocatum dicitur, certo nempe loco, ubi Ecclesia convenit ; quemadmodum iterum *Lutherus* scribit : GÖtt habe die Kirche/ so bis dahero gros sen Schaden und Abbruch genommen/ durch seine Barmherzigkeit wieder auffgerichtet / und diesen geistlichen Seegen dazu gegeben / daß sie an einem gewissen Ort zusammen kommen seyn/ gelehrt/ gebetet / und geopfert haben &c. *Gen. IV. 16.* Post diluvii tempora, Abrahamus di vino mandato & instinctu , è Chaldæa Idololatrarum terra , in Palæstinæ loca profectus est , ibique verum Deum cum suis coluit , iis præsertim locis, ubi Deus se ipsi manifestaverat. vid. *Gen. XII. 7. XIII. 18.*

XXI.30. &c. Postquam ex Aegypto Abrahami posteros potenti manu Deus reduxisset in terram Canaan, juxta legem ejus expressam, peregrinationes ob Cultum erant instituenda ad certum locum; *Tribus vicibus quotannis conspicietur omnis masculus tuus coram Jebova Deo tuo in loco, quem elegerit.* Deut. XVI. 16. Sic uni loco cultus publicus adstringebatur: non sine typo futurae habitationis in Ecclesia, unde *Esaie XXXI. 9. legimus; Hierusalem esse ignem & focum Jebova.*

§. IV.

Ubi regnum Davidicum in Jeroboamo & Rehabeam scissum est, ille Idololatriam sectatus est, ejusque causa peregrinationes instituit *Dan & Bethel*, ubi duos aureos vitulos erigi fecit. I. Reg. XII. 26. seqq. quem quidem *Franciscus Moncaus* pridem ab idololatria purgare voluit, simul ac Aaronem, Labanum ac Micham cum suis Teraphim, qui vero refutatus est à *Visorio Theol. Sorbonico*. Vid. *Mæbius Moscholatria* p. 9. ubi saniora exhibentur. Conf. etiam S. Schmid ad h. l. ubi ostendit, Jerobeatum hanc idololatriam ex Aaronis & populi Israelitici facto in deserto, didicisse. Præter illas *Daniticas & Betbelicas* peregrinationes aliae similiter instituta fuerunt vid. II. Reg. XVII. quales ad idola in *Gilead & Gilgal* Of. XII. ii. ubi *Kimchius* Judæus Commentator notat: *Fili Gilgal erant vicini terre Gilead -- & didicerunt ex illorum operibus, & cœperunt idola colere uti illi, & facere vanitatem, & immolarunt boves idolis, in loco ubi fuerat altare Domino benedicendo, ubi collokarant tabernaculum ab initio, postquam Jordanem trajecissent, ibi inquam immolarunt boves idolis.*

§. V.

Ejectis culpa sua è Patria Judæis, atque hinc inde per Assyriam & Babyloniam dispersis, diruto templo, quod corpore fieri non poterat, Spiritu tamen intendebant, ac inter orandum, Hierosolymas ac montem sanctum, memorabant. vid. *Daniel. IX. 16. 17. 18.* donec induku Regum Persicæ eò tribus Juda & Benjamin rediit, *Ezra I. 15.* atque restaurato Templo, pristinam quoque eò ambulandi, Deumque colendi solennitatem reduxerunt; sed moniti à Prophetis de futuro Messia, præsentis templi gloriam sua præsencia & doctrina suppleturo. vid. *Hagai II. 10. Mal. III. 1.* Hoc igitur Messia promissi comparentis tempore, peregrinationes religiosæ ex lege & instituto divino adhuc durabant, & ipse Christus Salvator statis temporibus Jerosolymam migrabat ad festivitates. *Luc. II. 42. Job. II. 13. Job. VI. 4. VII. n. Luc. XVIII. 31. XXII. 7.* Ast excisis justo & gravi judicio divino Hierosolymis, ejectisque ac dispersis è nativa sede Judæis nulla amplius futuri reditus significatio & spes est fundata.

Non tamen omnem spem deposuerunt, sed temporibus Messiae se eò introducendos esse adhuc dum somniant, & quidem

Nunc extorres alienaque regna tenentes

Sub gravis exilii servitiique modo, olim Christianis imperaturos se sperant, ductu illius se hostes percussuros, multis divitiis ornandos, ac miris deliciis satiandos fore, de quibus fabulis *Buxtorf. Synag. Jud. C. 36. p. 641. seqq.* Ita miseri lucri & bono-

bonorum temporalium affluxus cupidine obcœcati,
quæcumque Deus spiritualia promisit, carnaliter ex-
plicant, suamque, terram sanctam recuperandi, spem,
adè stabilitam & necessariam esse autumant, ut piros
demortuos, in Palæstina sub adventum Messiæ resus-
citandos, doceant. Interim fata sua infelicia non
quotannis solum, sed quotidie sub solis ortum de-
plorant, & obnixè Deum orant, ut captivitatem
solvere, illosque in terram patribus concessam per Mes-
siam introducere velit. Hac spe detenti plures quot-
annis in terram sanctam & speciatim Hierosolymas,
donis onusti amplissimis confluunt, referente R. S.
Luzzato Discursu de stat. mod. Ebr. C. 18. cit. à Wagenf. T.
J. S.p. 213. Unde porro Messiam sibi singunt fortē bellato-
rem & regem: cumque loca, quæ de ejus pauper-
tate extant, conciliare non potuerint, duos finxere,
ed quod *Cant. IV. 5.* duorum uberum mentio fiat;
id quod *R. Aben Ezra* in Targum explicat de duobus
Messiis filio David & filio Ephraim, qui similes fu-
turi sint Mosi & Aaroni; ubi merito *Raymundus Martini*,
Pugione fidei. P. III. dist. III. CXI. §. 18. fol. 710. ex-
clamat: *Ecce quo vento insanie moti sunt Iudei ad cre-
dendum duos Messias fore sibi venturos;* cum autem hoc
nec ista Scriptura, nec alia cui oporteat credere dixerit,
patet eos insanire, & immensa fatuitate esse crea-
tos. Quod verò ab Autore subjicitur per duo
ubera esse intelligendos Mosen & Aaronem, funda-
mento æquè incerto nititur; neque verò opus h. l.
digressionem exegeticam facere; vid. prolixius com-
mentantem & diversas sententias colligentem *B.*

Carlov.

Calv. Biblis Illust. ad h. l. nec contemnenda habet
Coccejus Comment in h. l.

§. VII.

In spem suam vanam fundandam , abutuntur fœdere divino & promissionibus verbo Dei contentis , & inter has præcipue illâ Levit. XXVI. 44. exhibita : **נַפְרָגֶם־זָאת בְּרוֹתָם בָּאָרֶץ אֲיָכִים לֹא־מְאַטְּשִׁוּתָם וְלֹא־צָעֲרִוִּים לְלִלּוֹת לְבָרֵךְ בְּרוֹתָם אֲפָס כִּי אֵת :** Sed insuper etiam bujas recordabor , quum erunt in terra inimicorum suorum me non sprevisse eos , neque fastidivisse eos , ad consumendum eos , irritum faciendo fœdus meum cum eis , quia ego Jebova sum DEUS eorum . De quo loco Judæi ita sibi gratulantur , & triumphant , ut peculiari nomine à principio versus desumto , eum jacent , quod est : simia aurea , der guldene Aff / referente Fagio in Parapbr. Chald. Eum in modum R. Lipmann in Carm. memor . ex Obad. vers. 12. Psal. 43. 5. futuram sibi liberationem gloriosam promittit . Addunt alii alia testimonia veluti Jeremie XVI. 34. item Zachariae VIII. 20. sqq. quæ de liberatione quadam loquuntur ; Sed ad solvendas illas objectiones faciunt , quæ ex propriis ipsorum doctoribus καὶ ἀρχαῖον habet Wagenseil. Tel. ign. Sat. p. 244. ac præter commentarios in loca allegata , prolixius ista tractans Mullerus in Judaismo p. 528. sqq.

§. VIII.

Judæos inter & gentiles meritò referendi **Sæmaritani** , ex utrisque mixti , qui deserto templo Hierosolymitano , in secessu montis Garizim adorarunt ,

B

eoque

eoque magno nisi peregrinationes instituerunt ; censuram Christi vid. *Job. IV. 21.* Ut verò illi ficticio suo sanctuario præ templo Hierosolymitano prærogativam conciliarent , in *Deut. XXVII. 4.* loco substituerunt בְּהָר גִּזְעֹן שֶׁבֶר , in montes Gerisim . Vid. de hoc cultu superstitioso *Höttingerus Exerc. Anti-Morin. thes. 49. 53. seqq.*

§. IX.

Quantum tandem ad *Gentiles* attinet , reperimus in Scriptura sacra V. T , *Balakum* , de loco in locum , querentem sanctitatem , ad offerendum & sanctificandum migrasse cum suo *Balaamo* . *Num. XXII. 13. 27. &c.* In N. T. legitur de *Diana Ephesina* , illi totam Asiam ac omnem terræ orbem cultum exhibuisse *Act. XIX. 27. seqq.* Celebres quoque sunt profectiones *Herculis* , *Orphei* , & quis enumeraret ab omni antiquitate , tot fana Deūm & oracula , quæ , vanas peculiari loci sanctitudine , quam inesse iis credebant , adducti frequentabant , non rudis solum plebecula , sed & Reges & Principes , ex voto & cum donis . Perrexit *Alexander* in *Lybiām* usque ad fontem solis , templum & nemus *Jovis Ammonii* , dona regia , pro splendore innataque magnificentia offerens ; vid. *Curtius L. IV. C. VII.* quin & corpus suum defunctum eō deportari voluit , teste eodem *L. X. C. V.* Non minori in pretio etant *quercus Dodonea* , mons *Epidaurius* , templum *Aesculapii* , quo magno numero ægroti confluebant , quod tabulis in æde suspensis inscripta miracula testantur , ut ex *Strab. Geograph. c. 8.* refert *Polyd. Vergilius L. V. c. VI. p. 398.* Nec mirum proin-

§ (ii) §

proinde, si postea idololatræ violationem sacrorum suorum gravius vindicarunt, cuius rei exemplum in destructione Apollinis Delphici exhibit, *Justinus L. IX. c. 2. Diodorus Siculus L. XVI. f. 522.* unde bellum istud ὁ ἱερὸς πόλεμος, bellum sacrum dictum fuit. vid. *Becmanni Dissert. de bellis Domini. C. I. §. 23. p. 34.* Nec ovum ovo similius, quam illæ à Romana curia inditæ sanctæ expeditiones & peregrinationes, de quibus inferius dicendi locus patebit.

§. X.

Sed nec Germani nostri antiqui sacrarum peregrinationum fuere ignari; qua de re tum scriptores qui de Germania in universum, tum qui de ritibus, legibus & sacrī eorum speciatim scripsere, evolvī possunt. Celeberrimum jam antiquissimis temporibus fuit numen *Tanfanæ seu Tanfana*, quod à *Tann* abies, & *Fhana* / prisca Gotho-Teutonica voce, Dominus, derivant, cuius meminit *Tacitus Annal. L. i. c. 51.* in quo loco *Dianæ* Idolum cultum fuisse, quidam putant, quos tamen refutat, ac, Deitatē Germanis tum adhuc ἄπορο fuisse, ostendit *Lohenstein in Arminio P. I. L. I.* Abitem, aliasque arbores sanctitate fuisse claras, docet *Paulus Hachenberg, in Germania media, Diff. VIII. p. 281.* Inter alia Idola, queis Sacra instituerunt, & ceremonias, etiam continuarunt suos cultos ad *Irmensulam*, quam alii ab *Irmino* seu *Mercurio*, alii ab *Hermanno* denominatam columnam putant, positam in Westphalia; *Vastissimum idolum Saxonie*, referens imaginem viri pluribus armis terribilis, fuit, referente *Rolenvincio Antiq. Sax. P. II. c. 3. Cranzio Sax. L. II. c. 2.*

B 2

IX.

IX. Munſ. Cosmogr. L. III. c. 433. Idolum hoc etiam in bella ſecum portabant Sacerdotes, ad hoc fontes caſtigabant, dona offerebant, preces fundebant, ae ē diſlitis regionibus huc peregrini confluēbant. Deſtruxit ædem illius Carolus M. anno 772. ac fontemſtientibus in opere militibus miraculoſe apparuiffé tradunt: ipsam verò ſtatuam in templum Hildesienſe tranſtulerunt; pluribus de hoc egit *Henrius Meinbomius Rerum Germ. T. III. p. 9. ſeqq.* Sic ad auxilia obtinenda tales peregrinationes in plura loca institutas fuifſe, conſtat, ſed pro rei in hodierno gentilismo ſtatu, haud diſſiculter colligitur, illas fuifſe quoque ſatisfactorias, quales à ſuis in *India* Satanias rigoroſe exigit; Die Vergebung der Sünden / und die völliche Reinigung zu bekommen / zehlen ſie unter andern Mitteln / die heilige Dertter / ait *Rogerius in der erhſneten Thür zum Heydenthum P. II. c. 18. p. 413.* Non minori in pretio ſacra peregrinationes habentur, apud *Turcas*, ad ſepulcra Patriarcharum, præcipue verò *Meccam*, quo ab extremitis Africæ oris magno comitatu abeunt. vid. *Tavernier Itiner. P. II. L. III. Locniceri Türkens-Chronik T. I. L. II. c. 14.* Nec verò illa libero cujusque arbitrio relinquentur, ſed ipſe Mahomet Surata II. ſuos eò adſtrinxit, ut ſemel ſaltem in vita Meccan veniant, ſanctum enim eſſe loeum, prius ibi templum fuifſe extructum ab Angelis, viſitatum ab Adamo, circumnavigatum à Noacho: posterius verò ab Abrahamo eodem in loco fuifſe adiſſicatum. vid. *Hötting. Hift. Orient. L. II. c. IV. p. 409. & L. I. c. V. p. 216. ſeqq.* *Hornbeck Summ. Controv. p. 141. 148.*

CAP.

CAPUT II.

*De peregrinationibus apud
Pontificios, tum religionis propaganda, tum
exercenda causa institutis, harumque ortu,
progressu varietate, & scopo.*

§. I.

Intra eos, qui sacra Christiana profiteruntur, Pontificii peregrinationes religiosas maxime jactant; idque tum religionis veræ causa, quam prætendunt, propagandæ per orbem; Apostolicam, ex eorum mente haud ineptè dixeris; tum ejusdem exercendæ causa, ad eū loca sacra, ex divini cultus instituto. Quod prius genus attinet, repetunt illud plerumque ex Apostolorum missione in universum orbem, quam adhuc in Ecclesia vigere debere afferunt, ita ut Pontifex facultatem acceperit tanquam successor Petri, novas condendi Ecclesias, qui deinceps pro autoritate suamittat operarios sacros, quoconque ipsi videatur. Vid. Bellarm. de Pontif. L. II. c. 12. Quam in sententiā ferè etiam Reformatus quidam, Adrianus Saravia statuit, superesse adhuc Apostolatum in Ecclesia, licet non solus Romanus Episcopus in Apostolatu succedat, quin potius omnes Episcopos, Apostolica illa autoritate adhuc præditos esse, pronuntiat. Conf. Gerb. L. de Minist. Eccles. §. 20. 21. scqq. Enim vero fingitur illa peregrinatio Apostolica sine fundamento; nam

B 3

quod

quod Christus Apostolis dixit; *Excuntes docete omnes gentes*, Mattb. XXVIII. 19. & apud Marcum, *ite in omnem mundum & predicate Evangelium omni creature*, id non aliis quoque mandatum esse ipsi intellexerunt, ipsaque praxi ostenderunt, dum Episcopos constituerunt καὶ επιλογίας Act. XIV. 13. certisque gregibus suos positos fuisse presbyteros à Spiritu Sancto, veluti Ephesino, Act. XX, 28. Lucas memorat. Unde & de Tito & ad ipsum Paulus scribit: *reliqui te in Creta, ut constitutas κατάπολην, oppidatim, presbyteros*, i. e. certo per oppida gregi præficias. Tit. I. 5. ex quo patet, eos, qui in docendi officio olim Apostolis successerunt, & deinceps, ad certum locum esse adstrictos. Nec ex eo capite hodie obligatio incumbit Ministris Ecclesiae, quod mandatum illud Apostolis olim datum, paulatim implementum sit & consummandum. Nam quod Christus præcepit Apostolis, id sollicitè ipsi sunt executi, *egressi prædicaverunt πανταχός, ubique, cooperante Domino, Marci XVI. 20*, unde & Paulus Colos. I. 6. scribit: *Evangelium in toto mundo fructificare*; & vers. 23. prædicatum esse universæ creature que sub cœlo est. Neque valet hic exceptio: Mundum aliquando pro mundi parte & quidem meliori in primis accipi, uti Luc. II. 1. census totius orbis dicitur, qui erat census certæ partis orbis. Hoc enim, nec luculentissimum Christi ad apostolos mandatum, nequaquam impropriè præter necessitatem explicandum, permitit; nec intentio divina omnes homines ad salutem vocans; nec vaticinia V. T. illustreri illam & uniuersalem N. T. gratiam vocationis lau-

laudantia, qualia & Apostolus congesit, Rom. XV. 9. seqq. Idem qui Rom. X. 18. illud Psalmi XIX. 5. *huc applicat, scribens : in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum ; nimirum, quod non pervenit pes eorum, eò tamen sonus.* Patres quoque mox primis seculis vicinis testantur, nullas tum fuisse gentes, inter quas non Deo gratiarum actiones factae sint per nomen Christi. Conf. Ireneus. I. 3. ubi Germaniam, Hyberos, Celtas, Aegyptum, Lybiam enumerat, in quibus speciatim Ecclesiae sint fundatae. Opus vero non est, geographicè demonstrare, ubi & quomodo Evangelium sit propagatum; mens pia divino ista consilio & providæ dispositioni relinquit. Ceterum subjunxit propagationem fidei suis Operibus *Centuriatores Magdeburgenses*; in specie vero hoc argumentum pertractat F. Arnold. Mermann Alostanus, in *Theatro conversionis gentium totius orbis*, Antverpiæ 1573 edito. Quæ autem alias Scriptores, de profectione Apostolorum in Americam facta vel non facta, annotant, cum reliquis quæ hic suo modo pertinent, aliis amplius discutienda relinquisimus. Conferri etiam possunt, si placet, Bochartus in *Caanaan*. L. I. c. 14. Salmasius Exerc. ad Solin. p. 781. Hornius de origine gentium Americanarum L. III. c. XIX. Ursinus Anal. Sacris L. VI. c. XXIV. p. 378, &, qui duabus dissertationibus rem pertractavit, ac utrinque producta argumenta collegit, tandem vero pro partis suæ sententia concludit, Hermannus Witsius Exerc. Acad. I. & II.

§. II.

Conjiciunt in nos Pontificii varias calumnias, quod de Apostolatu non simus solliciti, nec raro à nobis ad illos transfugæ in hoc subsidium suæ Apostasiaz invenire satagunt. Præsertim verò hostium Ministerii nostri eadem esse solet querela, injustissimè conversionem gentium à nobis negligi. Ita *Weigelius Dial. de Christianismo* p. 80. ait : Wir sijzen in unsern Dienstpredigten / in warmen Stuben / und predigen um den Lohn den Maul-Christen / und gehen nicht aus von solchen unter die so von Christo nichts gehöret haben : wir solten die Schäflein Christi mitten unter den Wölfsen suchen / und nicht ablassen/ das iet in orbem zu treiben bis uns der Todt scheidete / sed majori zelo quam prudentia ista effuttiit, nec probat. Nos, cum *B. Gerbar-do*, elenchem contra Pontificios jam ante exhibuimus, cui adjungi possunt *Scherz. Systema.* p. 692. *Brochmann. T. II. de Minist. Ecclesi. c. II. quæst. 8. p. 917. Dannb. Tb. Cons. P. I. p. 1034.* item ; *Quistorpius dissertat. de Migratione Clericorum*, Rostochii 1696. Sunt tamen & inter nos pii Doctores, qui putant, optandum, ut talia de propaganda fide collegia, qualia Romanenses habent, erigerentur. Est totus in hac querela *B. Scri-verus in dem Seelen-Schätz P. III. p. 1450. edit. in 4to* qui tamen propterea nullo modo id intendit, ut pastor suum deserat locum & ad barbaros excurrat, sed alia ad eum finem servientia media proponit. In eos qui operam & media, quæ poterant & debebant, non adhibent, ut ad barbaras gentes pura Evangelii doctrina

Strina propagetur, cum B. D. Spenero invehitur Secken-dorf. in Hist. Luther. L. III. sect. XXI. p. 331.

§. III.

Jam quod eorundem, Pontificiorum nempe, *peregrinationes votivas ac religiosas*, vel rectius superstitiosas & idololatricas concernit, *Concilium Tridentinum sess. XXV.* apertè pronuntiat: *Affirmantes, sanctorum reliquias, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandi causa, sanctorum memorias frustra frequentari, omnino demandatos esse.* Quam sententiam Cardinalis Bellarminus, qui instar omnium apud illos est, & os velut Ecclesiæ Catholicæ, tuetur, *L. III. de Cultu Sanctorum Cap. VIII. de peregrinationibus.* Noster Chemnitius ad *Conc. Trid.* catenam hypothesis Pontificiarum huc pertinentium accuratè exhibet, ut facilè deprehendi queat, quales intendant illi peregrinationes, & quid illæ sint: Species nempe cultus Dei, quo homines vel proprio instinctu, vel à Confessionario eò adacti, ad certum quendam ab illis canonizatum locum se conferunt, ibi adorantes, reliquias venerantes, imaginibus sanctorum offerentes, ad peccatorum veniam, aliquam gratiam promerendam.

§. IV.

Et hoc peregrinationum genus jam inde à primis P. C. N. seculis arcessere conatur *Cardinalis*, percensim simul *Centuriatores Magdeb.* quod initium illarum demum ad Constantini tempora retulerint: cum jam centum annis ante illa tempora *Alexander sanctissimus Martyr Hierosolymam, adorandi ac locorum sanctorum*

C

etorum

etorum videndi causa properaverit, teste Eusebio His.
 Ecc. VI.ii. Enimvero recte Heidggerus de Peregr. relig.
 p. 78. monuit: prorsus extraordinarium & singulare
 illud fuisse; ut pridem ante ipsum alii observarunt:
 & nequaquam istud exemplum ad superstitiones illas &
 idolatricas peregrinationes pertinet; vid. l.c. ubi
 rationes differentiae collegit, quas hic exscribere
 haud necessarium est. Summa apud Eusebium in eo
 consistit, quod Alexander tanquam divino admoni-
 tus oraculo (*ἀσπερ ναῦδι τι Γεωπόνιον*) Hierosolymam
 profectus sit, εὐχής καὶ τὸν πάντας ιωαῖας ἔβεκε, orandi
 & locorum visendorum causa, ut Valesius interpreta-
 tur; rectius quam Bellarminus, qui ait: adorandi &
 locorum sanctorum videndi causa, magis ex hypothe-
 seos pressæ studio, quam vel fontibus, vel illis tem-
 poribus congruè; non enim tum peregrinationes il-
 lae ad loca sancta, adorandi causa, vel invaluerant,
 vel cooperant, unde nec ullum, Pontificii præter hoc
 præsens exemplum, è tribus primis seculis adferre
 hactenus potuerunt; quod tamen non quadrat, cum, ut
 Eusebii verba noster exprimit *Chemnitius*, *bistorie*
gratia veteres quidam suscepint professionem Hie-
 rosolymitanam, & Christum, qui in locis illis natus,
 conversatus & passus fuit, in Spiritu & veritate ado-
 rarint. Eusebius ait: *bistorie locorum causa*, i. e. ob res
 illas ibi gestas, sacras, ad salutem nostram pertinen-
 tes; quorum locorum spectandorum desiderium ne-
 que impium, neque superstitionis per se fuerat, nec
 contemnerendum; nam ad sustentandam devotionem
 ocularis inspectio præsidium erat, si modo non occa-
 sio,

sio, ex ejuscemodis sat innoxiiis institutis & desideriis, arrepta fuisse, ad superstitionis molimenta, provehendosque ulterius suscep*ta* profectionis haud illicit*ta* terminos.

§. V.

Nam cum postea, ubi *Constantinus M.* paganis-
mum profligaverat, & terram sanctam in Christia-
norum potestatem redegerat, Hierosolymam fre-
quentius proficiscerentur, mox accessit superstitionis
sententia singularis sanctitatis peculiarium locorum,
invaluitque magis ac magis *profectio Hierosolymitana*
(aliaque deinceps) ut ansam inde sumserint Patres
eas reprehendendi & confutandi. Cujus rei spe-
cimen exhibet, inter alia tum temporis conscri-
pta monumenta, *Gregorii Nysseni* ἦν τὸν αὐτὸν γενέσιον
προδρυμα, de iis qui Hierosolymam abeunt, epistola. In primis
magnum instituto momentum accesserat per magnifica-
ca illa à Constantino M. & Helena matre extructa tem-
pla, Hierosolymis, & unum in loco nativitatis Domini,
alterumque in monte ex quo Dominus in cœlum ascen-
derat, vid. *Eusebius de vita Constant.* III. 40. 41. 42. 43. scqq.
suscep*tu*umque iter Helenæ Matris Augustæ in Orientis
provincias nominatim etiam Bethlehemum, non minus
ponderis addidit. vid. *Socrates, H.E.* 1. 17. *Theodoreetus* I. 18.
qui addit: Omnes pios ac religiosos eò confluere & ope-
rum magnificentiam contemplari. *Sozomenus H.E.* II. 2.

§. VI.

Quod de *Inventione crucis Christi* addunt, quam
Helenæ tribuunt, Viri docti & fidei historicæ censo-
res acutissimi, pridem in dubium vocarunt. Desti-

C 2

tuitur

trahitur enim historica de illa relatio, testimonio Eusebii coævi, qui hoc quod ad gloriam Augustæ dominus pertinebat, non omisisset, & tamen de peregrinatione Helenæ agens, nihil de cruce ab ea inventa memorat. *Socrates*, qui quidem à judicio & singulari diligentia, à doctissimo *Valesio*, cui & *Cave* subscrabit, commendatur, historiam enarrat, sed, unde post integrum seculum illam acceperit, non indicat, neque è circumstantiis augurari quis potest, è quibus hauserit fontibus: nisi quod eodem loco, ubi hanc rem narrat, & circumstantias eà pertinentes memorat, subjugat; τότο μέρος ἡγάπας ἔχω, πάντες δὲ χρέον οἱ τῷ Καυστρίῳ πόλιν ἐπέψησ, αληφές εἰναι φασί, quod num ad priora, an immediate antecedentia respiciat, non discutiemus, sed illud tantum monemus: formulis illis; *audivi*, *omnes ferme dicunt*. *perhibent*, tantam certitudinem haud subesse, ut tuto prudentes fidem iis perhibere possint. Equidem pridem ante ipsam ejusdem inventionis testimoniū se fīsīt *Theodoreetus H. E. L. I. c. XVII.* cuius verò fidem itidem hāc in re suspectam habent viri docti, propterea, quod alii haud minoris autoritatis viri, aliter plane rem, diversasque profus circumstantias referant quam *Theodoreetus*. Vid. *Salmasii Epist. de Cruce*. *Thome Bartolini Hypomnemata quatuor de Cruce*. *Chamier. Panstrat. L. XXI. c. IV.* *Elias du Pin*, qui tanquam fabulam explōdit, & *Spanheimius H. E. p. 136. Heideggerus de peregr. relig. p. 165. Natalis Alexander H. E. Sec. IV. c. VI. p. 120. Edit. Paris. fol. pro autoritate relationis de crucis inventione pugnat*, ac ad silentium.

um Eusebii respondet, autoritatem Ambroſi, Panlini,
Socratis, Theodoreti, Ruffini, & traditionem Ecclesie,
Eusebii silentio esse anteponendam; sed horum autoritas
in hac re, autoritati Eusebii nequaquam aequiparanda,
quippe neque coævi, neque è certis & solidis funda-
mentis rei satis periti fuerunt; & quod specialiter
Ambroſium attinet, in oratione sua, non tam Histori-
cum quam Oratorem agit, suumque argumentum
instruit. Quæ idem Alexander l. c. de circumstanti-
arum diversitate regerit, facile eliduntur; nam non re-
spicitur differentia in circumstantiis accessoriis quali-
buscunque, sed differunt AA. quoad circumstantias ne-
cessarias, pertinentes ad ipsam crucem Domini præ ali-
is cognoscendam; in quo tamen ratione medii co-
gnoscendi prorsus differunt, ut apud ipſos videre est.

§. VII.

Interim alliciebat conatus tantæ Principiis,
jam atate affectæ, juvenili tamen animo in Orientem
properantis, alios ad imitationem vid. *Eusebius de Vit.*
Conf. L. III. c. 42. Accedebat ad abusum & supersti-
tionem, in re per se haud illicita, augendum, quod
commendatio curiositatis, vel, ut Scriptores vocant
pietatis Augustæ foeminae, illis temporibus facta, ju-
flos terminos excesserit. Exemplum præbet *Oratio*
Funebris Ambroſii in obitum Theodosii Imperatoris, Opp.
T. III. p. m. 60. ubi dum in luxum Oratorium se dif-
fundit vir pius, religionis proposito erga defunctum
Imperatorem, ea prodit, quæ mentem piæ simplici-
tatis haud immerito offendunt: *Venit Helena, ait,*
capitque revisere loca sancta, infudit ei Spiritus, ut li-

gnum crucis requireret, accessit ad Golgatba & ait: Ecce locus pugna ubi est victoria? quero vexillum salutis & non invenio? Ego in regnis & crux Domini in pulvere? Ego in aulis & in ruinis Christi triumphus? Ille adduc latet, & latet patria vita eterna? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? &c. Quasi verò redemtionem, mortem, victoriam Salvatoris non firma & salvifica fide complecti possim, nisi monumenta ista historicā inspexerim. Movebat insuper templum ad sanctum sepulcrum extructum, mirificum ac regia ambitione, dicente *Baronio Annal. ad ann. XXXIV. §. CCXXXVI.* de quo quomodo ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum scripsiterit Constantinus M. narrat *Eusebius l.c. L. III. c. 29. 30.* in cuius dedicatione solenni insignes ex universis provinciis, episcopos convocavit; vid. idem l. c. l. IV. c. 40. & 43. Non deerant qui his valde delectabantur Ecclesia ministri & Doctores, opes enim eorum donariis allatis mirum in modum augebantur: hinc dicebantur Panegyrici, templum illud vocabatur nova Hierosolyma à Prophetis prædicta, *Euf. L. III. c. 23.* ac nihil non tentabatur, ad alliciendos in loca sacra Christianos.

§. VIII.

Atque ex eo tempore, solennem quotannis festivitatem splendide admodum celebrarunt Hierosolymis, multique ex omni ferè terrarum orbe convernerunt, qui hujus festivitatis tempore ad Sacra loca perlustranda, undique accurrerunt. *Sozom. l. II. 26.* Hinc igitur magnum robur superstitioni votivarum pere-

peregrinationum, quæ invaluerunt, additum est: nam & Eudocia, Theodosii Junioris conjux, votum de peregrinatione in terram sanctam suscipienda, non modo concepit, sed & implevit, vid. *Socrat. L. VII. c. 47.* Quid quod Constantino fatis defuncto, miracula ad ejus sepulcrum patrata, publice jactabantur, unde alleculi complures superstitione ad monumenta ejus accurrebant, ut recenseret *Imper. Julianus Orat. I. in laud. Constant. p. m. 68.* conf. quæ habet *Ezechiel Spanheimius in notis ad b. l.* Atque ita fictitia locorum sanctitas peperit superstitionem, nimia martyrum veneratio, inanem credulitatem, reliquiarum admiratio ac vis eis inesse credita miraculosa, tandem peregrinationem.

§. IX.

Cum Halcyonia Ecclesiæ dedisset benignissimum numen, etiam *templa*, in quibus populus ad præstandum Deo cultum conveniret, indies plura, nec ad necessitatem tantum, sed & ad magnificentiam adificabantur: indeque & illud præsidium erat, ad dilatandas peregrinationes, & à templo Hierosolymitano protrahendas ad alia loca. Augebatur cultus exterior, deficebat devotio interior; nec extructa templa Deo soli dedicabantur, sed & sanctis, ad quorum imagines & reliquias paulatim peregrinationes opinione cultus sunt institutæ, sub spe remissionis peccatorum, recuperandæ valetudinis, aliorumque bonorum finium corporalium tum Spiritualium obtainendorum causa. Et quo magis sanctorum cultus, imaginum & reliquiarum religiosa veneratio invaluit, eo plus momenti & audacia peregrinationibus superstitionis & idolatri-

latricis accessit. Conf. Daleus de religiosi cultus objecto aduersus Latinorum traditiones ubi ista ex professo & follicite tractavit. Nimirum inde à Sec. VI. jam mysterium iniquitatis manifestius se prodere cœpit, donec cum incremento cultuum idolatricorum, peregrinationum quoque eò destinatarum institutum injus legemque valueret.

§. X

Instituerunt quoque Pontifices ad promovenda itinera hæc, *Jubilea*, ceu præsidium augendi Patrimonium Petri, prospiciendique benè nepotibus & cognatis; quo sine plenaria remissio peccatorum visitaturis limina Apostolorum, Petri & Pauli promissa est. Originem rei ad Bonifacium VIII. scriptores fide digni referunt. Conf. præter alias B. nostrum *Johannem Ernestum Gerhardum Exerc. de Jubileo Judæorum, & Pontificum Romanorum. Cap. II.* Ratio instituti quænam fuerit à Spondano perhibetur; juxta quem Pontifex breviori manu cœlum mortalibus aperuit; i. e. amissa Palæstina compendiosorem viam ad promerendas indulgentias ostendit. *Bulla Clementis VI.* homines Romam invitans, ducit Jubilæum suum, ab illo Judæorum *Lev. XXV.* cum quo tamen nullam habet communionem: politicum Judæorum Jubilæum remittebat debita pauperibus &c. Romanum nummos adventantium captat, nam solventibus pecuniam indulgentia concedebatur, non pauperibus, *nam pauperes consolari se non posse dicunt*, juxta *Taxam pénitentiarum*, cuius quidem Romanos pudet, ast excusa tamen fuit *Romæ Sec. XVI.* ceu ex *Pet. Prost disquis.*

de

§ (25) §
de Jubileō C. I. dub. III. obseruat Voetius Dissert. select.
T. III. p. 1370.

§. XI.

Cæterum non omnes sacras peregrinationes ejusdem esse momenti, ipsi docent Pontificii; unde cum Gretsero libr. IV. de peregr. sacrīas eas distingunt in primarias & secundarias. Conf. Busaeus de statibus hominum. Ad priorem classem quatuor tantum referuntur tanquam principaliores: nempe Hierosolymitana, altera ad limina Apostolorum Petri & Pauli Romæ: tertia ad Jacobum Majorem Compostellanum, & quarta ad divam Mariam Lauretanam; ad posteriorem vero classem referuntur loca ferè innumera.

§. XII.

Hierosolymitana, quæ olim frequentissima erat, paulatim in desuetudinem abiit, ut & reliqua itineraria, in terram sanctam, quam permeavit Sospitator noster, suscepta. Quod Chemnitius P. IV. Ex. Conc. Trid. de Relig. Sanct. narrat ē Chrysostomo, quosdam in Arabiam abiisse ad osculandam terram in qua Job sedebat, imitatione posteritatis destitutum est. Abierant vero frequentius ad præsepe Christi; vid. Dannh. Lac. Catech. P. IV. p. 926. Jordanem, ad montem Calvarie, vestigia ab ascendeante Christo monte Oliveti impressa, quæ debito cultu veneratam esse Helenam, scribit Euseb. L. III. c. 42. de vita Conf. M. ad sanctum sepulcrum &c. Postquam vero & duriora Hierosolymorum fata, graviores sub variorum Tyrannorum dominatu servitus in valuerant, & Pontifex cum suis, peregrinantium suedia ad sua loca & commoda pertrahere coepérat, Hiē-

D

roso.

rosolymitana itinera aliò translatasunt, nisi quod bella
sacra, sub pietatis specie, ad recuperandam terram
sanctam, Pontificum hortatu suscepta sint. Huic rei
occasione dederat, Petrus quidam ex nobilitate Am-
bianensi, Eremita factus, is enim instituta peregrina-
tione in Syriam & Hierosolymam perveniens, di-
dicit, quam atroci barbarorum jugo premierentur
Christiani; acceptisque literis à Patriarcha ad Rom.
Pontificem, opem Christianorum occidentalium im-
ploravit. Fuit is Urbanus II, qui A. C. 1095. Clara-
montem in Gallia Concilium indixit, ubi communis
consensu decreta est expeditio pro recuperanda Hiero-
solyma & terra sancta, & ita benedictione Pontificis
imperata, 60000. homines confluxere, quos
jussit Pontifex ex rubra lana crucem facere humeris-
que affigere, ut ex idoneis harum rerum scriptoribus
testatur *Forbesius Instr. Hist. L. IV. c. 20*; Haec tamen
sacra, ut dicebantur, expeditiones, aliquoties suscep-
tæ, infelicem utique exitum habuerunt. Confer-
ri possunt pluribus de his agentes: *Wilhelmus Tyrus*
Hist. Exped. Sacr. Joinvillai exped. Ludov. IX. Blondelli
Histoire de la Croisade, Bacleri dissertatio de passagiis,
Maimbourg. Hist. de la Croisade, collecti scriptores anti-
qui à Caspare Barthio sub tit. *Gesta Dei per Francos,*
Reineri Reinecci Hist. Hierosolymitana: & quæ de Go-
dofredo Boullioneo etiam antiquo carmine hinc inde
conscripta videntur, add. *Mornei mysterium iniquitatis.*
Quamcumque verò speciem habuerint sacræ expedi-
tiones illæ, tamen revera neque pietatis, neque ju-
stitiae neque prudentiae nomine commendari mereban-
tur.

SS (27) SS

tur, vid. argg. ap. Christopher. Beermannum diff. de bell.
Dom. p. 25. seqq. & brevius Polit. parallel. diff. XXII. II. 6.

§. XIII.

Hierosolymitanam peregrinationem sequitur *Romania*, eo fine instituta, ut eis, qui limina Basilicarum quārandam, quā Romæ sunt, adeunt, singularis & uberior peccatorum venia obtineret: Quā res solenni Jubilæorum instituto confirmata, & ad durationem perpetuam consolidata fuit An. 1300. à Bonifacio VIII. de quo *Polyd. Virg. L. VIII. c. 1. Jubileum centesimo quoque anno servari mandavit*: nec dissenserunt alii, ceremonias & Jubilai terminos abbreviatus temporis spatium restringentes; de quo Autores de Jubilæo agentes, supra citati videantur. Ad primarias pertinet quoque *Lauretana* peregrinatio: hujus vero originem fabulasque de Translatione domus, in qua Christus conceptus in utero B. Virginis, in Dalmatiam primum, inde in agrum Lauretanum, Picenæ provinciæ, referre & confutare, esset toties actum agere, aliasque exscribere; post labores utilissimos *Casauboni Exerc. II. ad Baron. p. 186.* vid. *Horatii Turcellini Historia Lauretana* oppositum eruditorum Decoris *Matthiae Berneggeri Idolum Lauretanum*, & plures alii. Denique ad hanc classem pertinet *Compostellana*, itidem fundamentis ruinosis superstructa. Fingunt enim corpus Jacobi Majoris, fratris Johannis Apostoli Compostellæ in Hispaniæ provincia Galicia sepultum jacere, unde summa eō peregrinantium affluentia, colunturque suppositiæ reliquiæ magna devotione. Sed & hæc religio vel rectius superstition,

tio; (alii vocant insaniam Hispamicam) nec divina, nec Ecclesiastica fide subnititur. Vid. Chamier. in Panstratia P. II. L. XVI. c. 12. p. 343. & fusius eam per censem entem Voëtium differt. de itinere Compostellano.

§. XIV.

Secundarie ferè innumeræ sunt; quasdam saltem ex illis percurramus. Sunt enim illæ vel ad reliquias Christi, vel ad sanguinem per transubstantiationem è vino Eucharistico productum, quales olim inclarerunt, Boxtelam, in Belgio, teste Voëtio l. c. p. 1003. append. Waltburium oppidum in Ottonis Sylva &c. Non minorem verò honorem sibi vindicat Maria, cujus Imago pluribus in locis superstitione colitur. De Lauretana dictum; accedat *Maria sancta de Rubo*, in monte Horeb, in honorem immaculatæ virginitatis Maria, sub typo rubi ardantis à Mose visi, erecta, de quo facello vid. Quarensius Elucid. *Terra sanctæ L. IIX. c. VI. Peregr. 5. T. II. fol. 1003.* Est alia ad *S. Mariam de Spafino*, adem Hierosolymis exstructam in memoriam Spafini, quo affecta fuit Maria, cum filium suum, sub cruce gementem videret, v. Dorschai Theol. Zachariana P. I. p. 23. *Pulera Maria Ratisbonensis* quas non excitavit turbas sec. XVI, cum anno 1519. veluti furiosorum confluxus eò videretur, ita ut intra tres annos 25374. missas ibi celebratas numeraverint; de qua jam anno 1521. libellus innumerata miracula jaētans, prodiit, fraudem verò fuisse Magicam eventus docuit v. Heilsbrunners gründl. Offenbahrung P. I. p. 204. Godofredi Chron. P. VI. in fine Notæ sunt insuper *diva Hallensis* à Lipsio laudata ac venera-

§§ (29) §§

eneratione adorata, *Palao-Oetingensis* in Bavaria, *Einsiedensis* in Helvetia, & haud ita pridem in Austria. *Maria gratiosa*; sed quis omnes Marias recensendo tempus tereret? Plura qui objecta peregrinationum harum, etiam ad sepulcra Martyrum (ut Otto III ad cadaver Martyris Alberti in Poloniam iter suscepit, teste *Baronio* ad ann. 1000.) audeat *Gretserum LL. de peregr. relig.* & è nostris breviter *B. Chemnitium Exam. Conc. Tr. P. IV. p. m. 77. seqq.*

§. XV.

Ipsi peregrinantes, ut à reliquis viatoribus habitu quoque exteriori dignosci queant, student, nam etiam in hoc latere quid sanctitatis creditum est; contra quod in *Decreto Gratiani Can. si quis virorum 15. dist. 30. anathema dicitur illis*, qui sibi è vestibus justitiam promittunt; quo aures arrigant, Monachi ac omnes, quorum habitus tantam venerationem jactat. Comparent igitur amicti *tunica promissa* in terram è linteo plerumque nigro, ideo quod discipuli Emauntici tali usi credantur; cum *baculo*, ob illum Jacobi *Gen. XXXII. 10. instructi pera*, victu repleta z. *Reg. IV. 42. induiti calceis* ad modum Israelitarum, *Exod. X. 12. habentes viaticum* è *Denter. XV. 13. ornati Rosario*, in frequentationem orationis, ad globulorum numerum. Quæ alia quandoque accedant, ad eundem modum allegoricè exponere non erubescunt. Vid. pluribus *Busaeum Jesuitam Tr. de Statibus hominum p. 352. seqq.*

§. XVI.

De scopo religiosarum peregrinationum, jam
D 3 gene-

generatim ex iis, qua supra notata sunt, constat,
quod opis impetranda causa memorie sanctorum frequen-
tentur; nec tantum ad salutem corporalem, sed &
spiritualem, ut honoretur Deus & sancti, ut remit-
tantur peccata, & clementia Dei largius ac benignius
obtineatur: Conf. Gretz. L. 5. de peregr. idque non
privato consilio, sed decreto & generali approbatio-
ne totius Ecclesiae. Confirmat id experientia, & pra-
xis Pontificia; ich habe mich zu diesem oder jenem Heiligen verlobt &c. Confessionarii injungunt: Consi-
tent solle zu Bußung seiner Sünden/ und derselben
Vergebung zu erlangen/ eine Wallfahrt hier oder dort-
hin thun. Adde: quod honor sancto exhibeat eò
major, quo majori periculo aut molestia iter pera-
ctum. Busaeus l. c. p. 350. Ac tandem omnis honor in
ipsum Papam redundat, à cuius autoritate sanctitas
objectorum dependet, quippe qui dispensat prout
vult, ac peccata multo ære redimenda, non nisi è
curia sua remitti posse, hominibus persuadet. Et sic
finis est imperatio indulgentiarum, pro peccatis eti-
am summis, ac ipsomet parricidio, vid. Agricola
Heydensüchtig Papisthum p. 58. collato cum iis quæ
de Indis Braminem interficiens narrat Rogerus l.
c. p. 6. In eo vero etiam ingens superstitionis moris
indictum est, quod non è peccantis poenitentia, gra-
tiam Dei ac meritum Christi implorantis, remisio-
nem aestiment, sed è sanctitate loci, nam eò sunt pro-
gressi, ut tantum visitantibus templo privilegiata,
etiam si devotio absit, remissionem impertiant. vid.
Chemnicius Ex. P. IV. p. m. 127. è libro de Indulgentiis,

Rome

Rome 1506. Unde de suo majorumque suorum tempore Aventinus Annal. Bayar. L. VII. ait: Es möchte einer noch so viel gemordet ic. haben / so wird er doch aller Sünde auf einmal losz / so bald er ein Kreuz an seinen Rock hestete. Ridicula sunt, que de Gregorio Pontif. narrat Agricolal. c. p. 144. Er habe zu einer Kirche / (quam Lauretanam esse alii referunt,) so viel Ablass gegeben / als es in 3. Tag und 3. Nacht Tropf-
sen regnete ; und wer durch die 3. neben einander stehende Kirch-Thüren gehet / ist ledig von seinen Sünden. Ut verò etiam mortuis pro sit, sancta sedes lege sanxit, quod angelis satis imperiosè injungit, Bulla plum-
bata Clementis V. quam quidem moderatores Pontificii suppressam vellent, contendentes, merum esse
figmentum, sed Cornelius Agrippa de vanitate scient.
c. 92. testatur , eam hinc inde adhuc asservari ; ac Hornbeckius è MSto Bibliothecæ Ultrajectinæ eam anno 1653. typis evulgavit.

C A P. III.

Elenchticum quo Pontificii refutantur.

S. I.

Suæ doctrinæ cum Judaismo conformitatem quem-
modum in aliis Pontificii non obscure produnt,
de

de quo , videatur *Gejerus de Conformatitate Iudeo-Pa-
pistica*, ita & hic ; nam sicut Judæi sibi invicem gra-
tulantur de futura deprecatione ad faciem Domini ,
in Hierusalem , ita & illi Deo se placere , ac rectius ad-
orasse , peccatorumque remissionem obtinuisse pu-
tant , si ad peregrinationes sacras se invicem exci-
tent : quæ , cum circa objectum , modum , finemque
errent , & tantopere tamen ab iis laudentur , nunc ve-
niunt refutandæ , ac objectiones superstitionum itine-
rum diluenda . Nam utique tales peregrinationes , quæ
ex antecedente voto , vel mandato Sacerdotis proveni-
unt ad certum aliquem locum sub spe indulgentiarum ,
pugnant cum *Doctrina de Deo, presertim divina omnipre-
sentia* , qua Deus ubique est & cernit quæcunque sunt ,
Jerem. XXIII. 24. Act. XVII. 27. gratiosè adest piis , ac
facilè invenitur omnibus quærentibus eum , in quo-
cunque versentur climate ; irascitur verò impiis ,
ubicunque degant , ista autem hypothesis D E U M
certis quasi lecis alligat . Nec obstat Templum
Hierosolymitanum , siquidem ad tempora usque
Mesiæ cultus schematicus florebat , unde etiam fe-
nestras in cœnaculo domus suæ Hierosolymam ver-
sus Daniel c. VI. 10. aperiebat , si precibus ad Deum
veniret ; id quod signum erat fidei suæ in eum , cu-
jus præsentia in sancta urbe celebrabatur . Nobis ve-
ro quousque cœlum totum ambit terram , ubique li-
cet sanctas elevare manus , exemplo Christi oculos in
coelum vertentis *Matth. XIV. 19. Job. XVII. 1. Stephani Act.
VII. 55.* cæterum illud : *Sursum corda, non infert qualem-
cunque*

33 (33) 55

cunque Dei absentiam, sed elevationem mentis à terra
gribus. Coloss. III. 1. Tertull. apol. c. 24.

§. II.

In primis est defectus mandati, quare illæ peregrinæ nations proprio ausu susceptæ in Dei honorem peccatorumque remissionem prodefesse non possunt. Nam si Deo talia vota fiant, non placent, si Sanctis, sunt illicita. vid. Scherzeri Anti-Bellarum. p. 444. Nec votum elli creaturæ fieri potest, præterquam Deo, quod ipse fatetur Bellarminus L. III. de Sanctis cap. 9. & in sacris Scripturis aliter non invenitur; conf. de hoc argumento Dannb. Laet. Catech. P. IV. p. 99. Bechmann. Theol. Polem. p. 391. Brochmann. T. II. p. 4014. seqq. Quin contrarium è S. Scriptura elucescit, siquidem indifferentia loci in precibus habendis clare docetur à Salvatore Job. IV. 21. Cum enim Cultus Leviticus finem suum jam deberet habere, ac Samaritani in suo monte Garizim præ Judæis verum adorationis locum sibi vendicarent, utrosque Christus evertit. Certe cum Pontificiis Samaritani in antiquitate fundatum quærebant: quod verò, quale sit, in hac dissertatione hinc inde ostenditur, quò refert eò Grotius, quod Abraham Gen. XII. 6. 7. Jacob Gen. XXXIII. 18. in hoc monte adoraverint, unde Pontificiis etiam ad Cacozeliam veterum respondetur à Christo. Cæterum memorabile est verbum ἐξελεύσομαι, quod in præsenti positum, maximè etiam futuru significat. vid. Grotius Observat. in bunc loc. & Glash. Phiol. Sacr. L. III. Tr. II. Can. 48. p. m. 382. patet etiam, quodd modus orandi, non in vaga verborum recitatione Judæis con-

E

suetæ

sueta, consistere debeat, sed in spiritu & veritate,
 ubi parum Christianè Grotius rem interpretatur, è
 Gentilibus, quid veritas aut Spiritus sit, deducens,
 cum tamen veritas illis ignoretur; & adorare in Spir-
 itu, nihil aliud sit, quam internā cordis obedientia Deum
 colere, quam Spiritus S. in nobis operatur, ac vera in
 Christum fide per Spiritum S. accensa, & pietate con-
 firmata, ne Spiritus orationis peccatis excutiatur.
 Cumque Spiritus non sit corporeus, neque sub exte-
 riorem formam cadat, sed habitat in interioribus,
 non semper verborum prolixitas aut gravitas est re-
 spicienda, cum sanctis desideriis maximè idem ope-
 retur, ac homo in Spiritu verè oret, quamvis lingua
 ne verbum proferat, ut Moses Ex. XIV.15. In veritate
 adorare est ἀνυπογίτως, in vera fide, juxta volun-
 tamet Dei in filio ejus Iesu, cuius notitia veritas est,
 Job. XVII. Unde Ambros. in Ep. ad Phil. Hoc est in Spir-
 itu orare munda conscientia & fide integra preces fun-
 dere ad Deum. In carne enim orat qui polluta mente
 orat, iterum precaturus. Perpendant hoc pere-
 grinantes, à quibus cultus ex opere operato, preces
 ad numerum globulorum recitatæ, exiguntur: Ceterè
 in Spiritu & veritate Trisagium summum infinitum,
 non sancti, non reliquiae sunt adorandæ. Conferatur
 omnino Calovius Bibl. Illustr. in N. T. in b. l. Cbe-
 nnitius in Harm. Evangel. Accedit effatum Pauli
 Rom. XIV. v. ult. quicquid non est ex fide peccatum
 est; Taliter verò peregrinationes sacræ se habent,
 cum nec sint ex fide objective, tendunt enim ad san-
 ctos,

56 (35) 56

ctos, nec fundantur in Scriptura S., resultant ex mera probabilitate fideque humana, non divina, ut concedit *Sanctius Dissert. annex. Comment. in Act. Apost. Tr. II.* c. 1. fundantur in fama, *Bozicus de signis Ecclesie L. IV.* c. 1. nec sunt ex fide subjectiva, siquidem solum opus operatum sufficit mandato Papali, ac non ex fide, sed merito indulgentia proveniant.

§. III.

Jactant plerumque suum cum primitiva Eccllesia consensum, ast quis ignorat, & ipsos PP. contra hanc superstitionem sua ætate ingravescensem, graviter insurrexisse. In promptu est *Gregorii Nysseni* epistola, cui *augustinus* denegare audent quidam, sed frustra; referunt eam non tantum *Cent. Magd.* sed & prodidit Græco & Latinoliamate *Parisii 1551.* & postea alibi in qua è sex rationibus contra peregr. rel. disputat. (1.) A defectu mandati; (2.) ab absurdo, cum nos in N.T. à jugo ceremoniali simus liberati, cur quæso de novo nos iubjugare velimus. (3.) ab incommmodo; hospites utriusque sexus sua negligunt ac facultates consumunt. (4.) A periculo p. in castitate foeminarum conservanda, p. quia diversoria licentiam & occasionem peccandi suggestur; nam quis per sumum ambulat, ut non exasperetur oculis. (5.) A vano, quid quæso plus habet, qui eo locorum abit, præ aliis. (6.) Ab impio. Cum Christus ex illa terra egressus, nunc ubique sit, male nos illum in loco impietatis quærimus. Si de suis temporibus istas conquerendi causas habuit Gregorius, quid de nostris quæso dicen-

E 2

dum?

dum? Testis *avroīnīc* ingenuus consilium optimum dare poterat, nam si vel maxime præclari quid in illis foret, necessario tamen per peccata utilitas inde capienda periret. Hoc videntes Patres quantis malis talia itinera viam pandant, omni modo meliora suos edocere studuerunt. Sic *Cbryostomus Homil. I. in Ep. ad Phil. T. 3. f. 26.* & *Hom. de muliere Cananea: non queritur in oratione locus, sed devotio mentis.* conf. *Baldinus comm. in Zachar. p. m. 1575.* Hieronymi dictum, quo in vanam hominum de sanctitate locorum opinionem invehitur; *non Hierosolymis fuisse, sed ibi bene vixisse laudi est,* ita arrisit omnibus, ut & in *Corpus Juris Canonici* relatum fuerit, scil. *Decr. Caus. 12. Quo. 2.* Et sua demum tempore. *Bernhardus T. I. Ep. 319. p. 131. ed. Paris.* monacho dissuadet talem peregrinationem, ac contraria mysticam spiritualiem quæ in pietate & fide in Deum, & renunciatione sui ipsius in voluntatem Patris consistit, commendat. Magnus Imp. Carolus plures abusus in Ecclesia tollere mente conceperat, unde postquam in *Concil. Francof. lis de imaginibus* esset composita ac media via electa, placuit itidem anno 813. in convocato *Concilio Cabilonensi* contra peregrinations disputare, unde *Can. 45.* lege sanctum est, ne quis putet visione locorum sanctorum se à peccatis purgari. Et Ludovici Pii temporibus Claudio Presbyter publico scripto superstitutionem reprehendit. vid. *Chemn. Ex. C. T. P. IV. p. 18.* & *19.* Mire quidem gloriatur Casalius de Ribus V. E. p. 218. sgg. in Patrum assertis, sed vel illi de peregrinationibus tantum spiritualibus agunt, vel recen-

38 (37) 39

recentiores sunt, vel pro more suorum temporum locuti sunt, quo in Palæstinam (non ad fictas reliquias in omnem terram) properatum est planè diverso fine à Papicoli, nempe non ad impetrandam veniam & indulgentias, sed vel curiositatis, vel devotæ recordinationis ergo; nam, remissionem peccatorum majorem certo loco non alligari, jam docuit *Augustinus Sermonis III. de Martyr.* vid. *Voëtius Diff. l. c. p. 998.* Quæ Gregorio Nysseno objiciuntur, quod Hierosolymas adiverit, ipse jam loc. cit. refutavit.

§. IV.

Pudore suffundi oporteret facies defensorum peregrinationum, si respicerent suas has ad reliquias & imagines susceptas convenire cum illis paganorum, de quibus jam supra Sect. I. actum fuit, quibus, quoad scopum, obtinendas nempe indulgentias, collatis, Papismus paganizans eluet. Demonstrarunt illud prout in plurimis aliis, & in hac parte *Valkenier in Roma paganizante. Borchard d' Alencon, de l' origine du Service des Reliques,* & jam superiori seculo quidam Pastor Neoburgensis ad Danubium, *Magnus Agricola, Tr. das Heydensüchtige Papstthum.* Omnes quidem reliquæ, quod itinera suscipiuntur vel miraculis dicuntur detectæ vel confirmatæ; at meritò suspecta sunt, cum Judice Scriptura pro signis anti-Chrísti potius haberi debeant. 2. *Theff. II. 9. conf. Matth. XXIV. 4.* Interim pro veris passim venditant, licet compertum sit, quod potissimum nihil aliud sint quam illusiones, vel fabulæ, vel artes magicae,

vel mathematicis è causis proveniant: proinde ruinosis Fundamentis abstinere satius esset.

§. V.

Est etiam rationi plane incongruum, locum quendam, hominem sanctum reddere posse; non enim ibi animi interior dispositio, sed exterior tantum actio respicitur. Quod nequaquam Deo, qui cor adspicit, placere potest: & hic sapientiores Judæi nec templo nec oblationibus sanctitatem ita attribuerunt, ut non faterentur, primam Dei intentionem respexisse ad interiorem, secundam verò demum ad extrema, quam posterioem cum observarent, priore & principali insuper habita, ejecti sunt è patria. conf. Maimonides in More Nevuchim P. III. c. 32. alleg. à Wagenstiel. l.c.p. 550. seqq. Nec malè è Gregorio Scherzerus: Numquid Satanás in infernum fuisset detrusus, si loci sanctitas quid conferre potuisset? Antibell. p. 461. Gerb. in Ep. I. Petri. p. 879. Insuper omnis cultus ab hominibus excoigitatus est superstiosus nec religiosus, has vero peregrinationes destitui mandato, supra dictum; Ad datur Esa. I. vers. 12. Zachar. VII. vers. 5. Ajunt: Christum dixisse discipulis, qui vos audit, me audit, Luc. X. 16. unde talia religioni convenientia meritò ab ipsis imponantur. Resp. Conjungenda omnino sunt, quæ Christus ait Job. XV. v. 14. 7. Vos estis amici mei, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Cultus novi Testamenti Deo exhibendus consistit in spiritu & veritate: cum quo quidem externus conjunctus esse debet; quo pertinet locus, tempus, &c. At illa ab Ecclesia determinantur, non sub ratione cultus aut religionis, sed ut

ut ordine & decenter in cœtu publico religio exerceri queat; nec in impio locus devotionem auget, nec in pio devotionem imminuit, sed etiam in cubiculo preces efficiaces fieri posse testatur Christus *Mattb. VI. 6.* *Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare, etiam inter gentes: cubiculum tuum mens tua, & cum intras in cor tuum, intras in cubiculum:* Sic *Augustinus in Psal. XXXIII. Conc. 3. Ambros. L. VI. de Sacram. C. 3. T. IV. p. 445.* Nec opus est, ut ob indulgentias sive peccatorum remissionem, locus mutetur, nam is qui discipulis remissionis officium imposuit, itidem dixit, Ecce sum vobiscum omnibus diebus; unde temeritatis est Christum loco aliligare velle. Vid. *Rom. X. 6.*

§. VI.

Nituntur vero etiam peregrinationis incertis plante fundimentis; qualia sunt: somnia, incertus rumor, accedit clericorum avaritia. Anno 1388. ius schedulam à collo suspensam circumgestans à Sacrificio captus, detexit sub altari innumeratas ferè sanctas reliquias latere, ad quas Bonifacius nonus plenariam remissionem eō abeuntibus concessit, ut ex *Aventino* prolixè recenset *Heilbrunn. Pap. Acath. p. 254. seqq.* ut sanctos Chimæricos, reliquias easdem pluribus in locis expositas alias taceamus, de quibus *Voëtius pecul. diff. egit.* Agnoverunt jam ante Reformationis tempora saniores in papatu, Monachorum esse ista inventa, unde falsè admodum eos perstringit *Erasmus in Colloquiis*, vid. *Cassandra in Consult. p. 27.* *Franciscus Petrarcha Epist. L. XIII. Epist. 5.* unde pīi nostri Confessores hæc Imperatori & statibus Imperii meritò in animum revocarunt, magnas

magnas fuisse querelas de indulgentiis , de peregrinationibus , vid. A. C. in Epilogo p. 45. Conf. qui pluribus de hoc argumento habent Schmid. in Propb. Minor. resp. 233. & in Jeremiam P. I. 252. Gerb. LL. Tb. T. VIII. p. 214. sq. & Confess. Cathol. L. II. Spec. Part. II. Artic. X. c. 5. p. 742. sqq.

§. VII.

Constat hactenus quodammodo, peregrinationes illas esse superstitiones, ἀγράφες ἀτιχείαφες, analogiae fidei adversas &c. Jam negari non potest, quod sint periculose illæ & damnoſe; nam nos Apostolus manere quemque jubet ἐν τῇ πλάστῃ ἡ ἔκληψη, in vocazione cui vocatus I. Cor. VII. 20. rem verò familiarem hīc labascerē necesse est. Præterea potius libidines vagas quam devotionem fiantur, quæ rectius impedirentur si in sua quisque statione maneret; sed & statui politico suum imminet periculum, nam quotiescumque Reges aut principes in peregrinationes se converterunt, Pontifices adversus eos varia machinati sunt: cuius rei exemplum suppeditat Historia Gregorii IX. qui Fridericum II. Imp. monuit sub Antheniatis poena, ut primo quoque tempore in Asiam proficiuscere tur cum exercitu, recuperandæ Hierosolymæ causa, interim ipse Apuliam conatur extorquere, & ea in Imp. molitur, quæ nulla ratione excusari possunt. conf. Platina & quæ Hift. Goth. colligit ex idoneis scriptoribus. Paucis: licet in animæ salutem inventæ dicantur, non tamen scopus iste obtinetur, nam animam deducunt in idolatria, corpus periculis haud necessariis objiciunt; domi

domi vocationes, quorum cura necessaria & manda-
ta est deseruntur, & non necessarii, incerti, pericu-
losi & Diabolici ignes ferè fatui seu errores illis pra-
feruntur, dicente B. Lutero in Art. Smalcald. Art. II. p.
309. Conf. de periculis imminentibus & Dannb. Laetæ
Catech. P. IV. p. 100. Carpzov. Introd. in LL. Symb. p. 786.
Calvinus in Hoseam C. IV. v. 13. p. 50..

§. VIII.

Has tamen superstitiones peregrinationes magni
facere tenentur ob anathema dictum in Concilio Tri-
dentino sess. 25. suprajam notata iis qui pias & religio-
nas esse eas negaverint; & certè satis imperiosè (&
en souverain) conscientiis sancta Synodus imperat,
dum sine addita ratione hoc credendum facien-
dumque injungit. Bellarminus L. III. de cultu sancto-
c. 8, Tria argumentorum genera producit è S. Scriptu-
ra, Patribus & ratione, quem refutavit Gerb. LL. Th.
T. VIII. p. 229. seqq. Tria exhibet Beyerlink promt. mora-
li, refutatus à Schmidio in Propb. Min. p. 234. quorum
vestigia legunt Casalius de ritibus V. E. p. 218 seqq. Bu-
suls de statibus hominum p. 343. Gretserus de Peregrin. L.
III. Stapletonus Promt. Cathol. p. 8. seqq. ad d. Heidegger-
rum l. c. Quæ è Veteri Testamento allegari solent pro-
sententia Pontificiorum, è Deut. XVI. ad typicam Ec-
clesiam pertinent; ac Judæis quidem incumbebat, satis-
facere divino mandato, ast adducant Pontif. in N. T.
equipollens, ac mandatum Christi Job. IV. evertens.
Quicunque enim verus adorator esse vult, non ha-
bita loci ratione ubique in quoconque loco in spiri-
tu & veritate adorat: nam ipso adventante corpore,
umbra quævis evanuit, ac omnes illæ causæ, ac promis-

sa à Deo privilegia Ex. XXXIV. 24. hodie cessant. Hic
verò dicto divino audientes extiterunt Elkana ac Han-
na uxor ejus I. Sam. I. qui tempore statuto de anno in
annum circulo redeunte Siloham abibant; sed quid
hoc ad nos in statu impleti vaticinii Jer. III. 16. viventes?
Christi exemplum Luc. II. haud plura evincit, nam
legi se subjecit, ut nos à lege liberet, Gal. IV. 4. 5.
Et si Pontifici addeo tenaces Christi imitatores esse
contendunt, circumcisionem itidem conservent ne-
cessè est. Quod verò ad Græcos Job. XII. 20. qui ad-
orandum venerant tempore festi, & Eunuchum Act.
IX. 27. illi vel fuerunt gentiles, vel Proselyti vel Heli-
lenistæ, si prius valet, etiam gentibus in atrio adorare
licebat, quin Holocæsta offerre, ac tales licet non cir-
cumcisæ, piæ tamen viri dicebantur, ut Cornelius Act.
X. 2 & quid mirum tales Judæorum religionem aman-
tes, etiam legem de festis, tum adhuc obligantem
obsvrasse. Quod multo minus nos ferit, si fuere illi
Job. XII. Hellenistæ, Judæi in Græcia habitantes, id
quod mihi arridet; p. ob locum ubi Christus tum-
verba faciebat, nempe templum quod ingredi genti-
libus non licebat. p. ob participium ἀνθεύοντα quod
facti iterationem significat, vid. Glash. Phl. S. Libr. III.
Tr. III. Cor. IX. p. 252. Eunuchi verò iter religiosam ad-
orationem pro fundamento equidem habebat, sed
qua iterum nihil evincit, nam Proselytus ille erat, id
quod Grotius probat, ab exemplo Cornelii, qui pri-
mus è Gentibus conversus dicitur, Jesum verò Eunu-
chus postquam agnovit, docente Philippo, non redi-
se Hierosolymam legitur.

§. IX.

Num Israëlitarum ingressus in terram Canaan aut sepultura à Judæis pro XXX. Drachmis *Mattb. XXVII.* parata pro peregrinis, quæ tamen *Buseus* l.c. urget, valeant, ut responsione opus sit, è rei ipsius indagatione patescit. *Sanctius* è II. *Reg. XIII. 14.* sibi non quod pueri in faba invenisse putat, verum à visitatione ægroti *Elisæ*, Regis Joas, ad peregrinationem ad reliquias quo modo consequentia fluere potest? De visitatis ossibus *Joséphi Syrach. XLIX. 17.* (quæ verba textui inserta) pluribus egit *Chemnitius Exam. Conc. Trid. P. IV. p. 7.* Objiciunt adversarii miracula tamen in locis illis facili fieri? Sed ad hoc prolixè respondit *Gerb. LL. Tb. T. V. p. 1225.* 1. non omnia quæ dicuntur vera sunt, exemplo Regis, cui persuasum fuit, Belum tot edere oves &c. 2. Multa sunt magica. 3. Multa fictitia. 4 Multa incerta, 5. etiam Ethnicorum idola mira præstiterunt.

CAPUT IV.

Informatorium, in quo peregrinationes quæ licite sunt religiosa exponuntur.

§. I.

His ita suppositis, nequaquam tamen omnies indifferenter rejiciendæ sunt peregrinationes religionis causa suscepτæ, licet enim, imò mandatas esse quasdam, puto, cum nempe tyrannorum manus in

capite fidelium gravis, quos persequuntur, quibusque dira quævis minantur; tum certe plures constantiam jactantes, cum plerumque deficiant, præstat abinde exire, reliktis quæ asporari nequeunt. *Ebr. XI. 26.* Obedienter mandato Christi *Mattb. X. 23.* & hi animæ suæ consulentes, verè sunt religiosi, incidentes habitu iustitiae *Ef. LXI. Ps. XXIII.*

§. II.

Dantur quoque *salutares*, cum viri pii in Ecclesia pressa viventes, statim temporibus ad audiendum verbum, & usum S. Cœnæ è patria in aliam regionem se conferunt; qui in terra heterodoxa habitantes, si privatus Dei cultus non sit interdictus, nequaquam peccant, cum plerumque compertum sit, tales in fide multo constantiores, in caritate ac virtutibus Christianis ardenteriores esse, plurimis in Ecclesia libera viuentibus, modo ne participant de peccatis vulgi, nam non à hîc templum Domini, ut Judæi *Jer. VII.* clamabant, Deo placet, sed templum Dei in nobis inhabitatum à Spiritu S. II. *Cor. IV.* *Luc. XVII.* Huc quoque refero exitum Christianorum ex Hierosolyma ante excidium urbis, convenienter admonitioni Christi. *Mattb. XXIV.* *Luc. XXI.* Pellam trans Jordanem se contulere, de qua fuga vid. *Bayeri Dissert. de migratione Christianorum in Pellam.* Conf. *Epiphanius Hæresi XXX. n. 2. p. 126.*

§. III.

Quæstio hic incidit: Num liceat sacra heterodoxorum idololatrica visere, aut illis sub quocunque praetextu interesse? Variè hac in causa disceptarunt Theologí, ac exemplo Naamanis II. *Reg. V. 19.* si Politici ta.

tantum servitii causa fiat, concesserunt, hactenam restrictio-
ne, ut absit approbatio, simulatio aut scandalum, vel si fiat a-
nimō contradicendi aut errantes convertendi, ut *Paulus Act.*
XVII. 22. 23. Praestaret vero omne periculum fugere, ne pereā-
mus; vix enim animus in exteriori cultu sibi placens, novi-
tatis avida natura, omnibus illecebris resistere potest; quod
innumeris exemplis experientia probavit. Quin, sapientre-
nui alias defensores, lapsi sunt; unus sufficiat *Wanslebius*,
qui à Duce Saxone in Abysiniam missus religionis ergo, Ro-
man substitut, defecit ac monasterium ingressus est. *v. Nova-
liter. Germ. II. p. 260.* Certe gratia Dei tentata facile recedit.
Vid. de hac quæst. *Baldinus Cas.* *Consc. L. II. c. VI. p. 196.* *Broch-
mann Synt. P. II. p. 116. sqq.*

§. IV.

Quoad locum ac corporis situationem in precibus,
varia semper in usu fuerunt. In V. T. omnibus quidem
in locis etiam in regione Idololatrica adorare licebat, facie
tamen versa Hierofolymas. conf. *Dan. VI. 10.* in templo ipso
versus aram *Psalm. V. 8.* vid. *Seldenus de Synedriis* L. III.
p. 427. Hunc tamen ritum imitati sunt quidam Christia-
norum, quam traditionem Apostolicam esse publicè edixit
Damascenus de Oribod. fid. L. IV. c. 15. ac *Epiphanius* L. I. *Heres.*
XIX. hæreticum Elxai eo perstringit nomine, quod adora-
tione ad orientem suis auditoribus interdixerit. *Pseudo-*
Dionysius de Hierarch. Cœlest. c. 2. eadem narrat, de baptisan-
dis, quod occasum versus ter abnegaverint Diabolum,
mox vero ad orientem Christum adoraverint. Mirandum
tamen, cum religiosi satis fuerint in vitandis reliquis gen-
tilibus consuetis ritibus, jejuniis, lotionibus, spectacu-
lis &c. illos in hoc ritum suum non mutasse; nam de gen-
tilibus constat, illos vel Solem adorasse, aut minimum or-
tum respexisse si Deis; occasum, si hercibus sacra facerent.
Praestaret Christi & Apostolorum effato inhærere, deado-
rando in omni loco & tempore. Zelo tamen pro ceremo-
niis usitato Pontifici alaria ad orientem solem extruunt
et que preces fundunt, quos imitanter Brovvnistæ in An-
glia.

glia. Conf. pluribus *Voetius* differt. selen. P. III. p. 270. 274.
Seldenus de Diis Syris Syntagma, II. c. 8. *Vossius Harm. Evang.* L. 2.
 c. 7. §. 36. *Saldenus Otiis Theol.* L. III. Exerc. X. p. 572. sqq. *Gejerus*
Dissert. de Superstitione. Idem qui de quæstione, num pre-
 ces in templo fusæ, domesticis sint efficaciores, egerunt.
Brochmann l. c. P. II. p. 109. *Hutterus LL. Com.* fol. 975. *Bal-*
duinus l.c. p. 250. *Mengeringus Inform. Catech.* p. 696.

§. V.


Tandem (in origine sua) peregrinationes malæ non
 fuerunt illæ, factæ in memoriam heroicæ pietatis marty-
 rum, prouti eum in finem sibi talem, si per curas Ecclesiæ
 & valetudinem corporis licuisset, peregrinationem optavit
Chrysostomus homil. 8. in *Epiſt. ad Ephes.* Et quid obesset,
 si curiositatis causa quidam Vitebergam veniens & Lutheri
 monumentum aspiciens, Deo adhuc pro tanto veritatis te-
 ste gratias ageret; ast cum facile in abusum pertrahantur,
 quæ per se haud illicita, merito abstinemus ab illis. Unde
 optimè peregrinationem Christianus instituit *Spiritu-*
lem; peregrinatio est tota nostra vita Gen. XLVII. 9. *Theo-*
logia nostra est viatorum ac ad perfectionem comprehen-
 sionis tendit i. Cor. 13. 12. Hic inceditur in semitis fidei &
 charitatis, in fuga peccatorum, donec in locum patriæ
 tandem appellamus. Huc facit ascetica *Theologia* qua
 vera pietas exercetur de qua vid. *Voetius Tr. de exercitiis*
pietatis; & hæc est verè mystica *Theologia*, cum homo le-
 sum pro nobis traditum fide apprehendit, virtute ejus pie-
 tam exerceat, Deum respicit, fē ab negat, altiora & fu-
 tura optat; ea ita per *Spiritum S.* in absconditam Dei sapi-
 entiam penetrat i. Cor. 2. 6. 7. Cum vero non nisi integra
 fides ac animus purus ea percipiat, vita est eo affluefacien-
 da, quo tandem in facie Domini cuius visibilem præsen-
 tiā hīc ferre non valemus, nec, licet in & cum nō-
 bis sit, videre possumus, in paria æternum
 vivamus.


T A N T V M.

Jena, Diss., 1705 A-55



VD 18





LX.
1705.19
M

EXERCITATIO
HISTORICO-THEOLOGICA
DA 1805.19 DIN
De
PEREGRINATIONIBUS
RELIGIOSIS JUDAICO-ETHNICO-
PONTIFICIIS.
DA 1805.19 DIN
Quam
DIVINA ANNUENTE GRATIA
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICEN-
TISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
WILHELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC MONTIVM,
ANGARLÆ WESTPHALIAEQUE ET REL.
PRÆSIDE
VIRO SYMME REVERENDO ET MAGNIFICO
DN. MICHAELE FÖRTSCH,
SS.Th.D.P.P. SENIORE AC h.t. DECANO
FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO NUN^QAM NON COLENDO.
VENTILANDAM EXHIBET
Add. Aug. M D CC V.
AUTHOR & RESPONDENS
JOHANNES JACOBUS SEELIG,
MFrancofurt.
J E N A E
Stanno MULLERIANO.